

per eosdem continuari et prorogari contigerit terminum antedictum.

Acta sunt hec anno domini, indictione, mense, die, hora diei et loco prescriptis, presentibus venerabili in Christo patre domino Syfrido Curiensi episcopo et spectabilibus viris dominis^a Gerhardo Iuliacensi, Adolfo de Monte, Petro de Barro, Bertoldo de Hennenberg, Iohanne et Henrico fratribus de Spanheim comitibus necnon nobilibus viris dominis Iohanne de Wartemberg, Boscone de Hayda, Wilhelmo Hase et Iohanne de Brunshorn et honorabilibus viris magistris Iohanne de Vinstinga et Henrico de Geldonia iurisperitis et pluribus aliis fide dignis pro testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Iohannes quondam Gerlaci dictus Certamen de Spira clericus publicus apostolica auctoritate notarius, quia premissis omnibus et singulis una cum Lud(owico) de Kansme, Petro de Grifonia^b, Gerhardo de Lupo de Treveri et Arnolfo de Puteo de Colonia clericis notariis publicis et testibus supradictis personaliter presens fui, hoc publicum instrumentum manu mea conscriptum inde confeci et signo meo solito signavi, requisitus pariter et rogatus. (S. N.)

XXXII. Ludwig erwählter König an die Stadt Konstanz. (1314) Oct. 29.¹

Or. Karlsruhe, Generallandesarchiv, Select der Kaiserurkunden n. 196. Nach Abschrift von A. Werminghoff.

Ludewicus Dei gracia electus in regem Romanorum prudentibus viris . . sculteto, magistris civium, consulibus et universis civibus Constanciensibus fidelibus suis dilectis gratiam suam et omne bonum.

Cum in regem Romanorum divina suffragante gracia simus a maiori parte principum ius in electione habencium in Frankenfurt, vocatis qui evocandi fuerant, adhibitibus sollempnitatibus debitis et consuetis ad culmen maiestatis regie sublimati, de quo fidelitatem vestram credimus non modicum gratulari, de vestre discrecionis constancia, quam semper Romano imperio obsequiosam cognovimus et fidelem, sincere presumimus, quod in iuribus et honoribus nos et

a) Ueber der Zeile nachgetragen. b) 'Grifon' Or.

1) Bisher nur im Regest Zeitschr. für d. Gesch. d. Oberrheins N. F. I, 88.